

bet esse; & præsupponitur actui reflexo, per quæ cognoscitur: de quo late Articulo sequente: quare optime potest dici per se intelligibile ab actu reflexo. Et quod ait, vniuersale esse finem intellectus agentis, debet intelligi; vel de vniuersali in repræsentando, qualis est species intelligibilis; vel finis debet sumi mediate; nam effectus intellectus agentis ad vniuersale Logicum, mediate tamen, & vltimate, ordinatur: idem enim dixit, finis, & non effectus.

Ad tertium.

Ad tertium respondeo: quod Doctor loquitur de cognitione Logicali distincta, & scientifica, pro isto statu: nam quidquid tali cognitione cognoscitur, est sub ratione vniuersalis, superioris, scilicet, subiecti, vel prædicati, quas intentiones secundas habet Logicus tanquam prima principia à primo earum inuente fabricata: quia ea, quæ apud nos sunt Principia alicuius Artis, apud primos inuente fuerunt finis, & operatum. Itaque dico: sicut quidquid intelligimus naturaliter pro hoc statu, est sub ratione alicuius communis vniuersaliter repræsentantis: ita Logice loquendo; quidquid Logice cognoscimus est sub ratione alicuius vniuersalis Logici, sub qua ratione primas intentiones cognoscimus. Vnde Doctor non loquitur absolute de quacunque cognitione intellectus: nec de cognitione Logica in quocunque intelligente: sed loquitur de actu primo scientifico, & ad scientiam spectante: quod bene notabis.

Ad quartum.

Ad quartum nego antecedens: nam intelligibilitas etiam est passio entis rationis, vt diximus: nec auctoritas Doctoris urget: nam solum obiectum motuum, & per se primo terminatum, conuertuntur cum obiecto Metaphysicæ; non vero obiectum intellectus in tota latitudine sumptum.

Ad vltim.

Ad vltimum respondeo cum Doct. in Ante prædicament. quæst. 2. prope finem: quod secundæ intentiones, non solum sunt modi cognoscendi alia, sed etiam sibi ipsis sunt modi, sub alia, & alia ratione: vnde vniuersale: quatenus intelligitur, est quid; & quatenus sub ratione vniuersalis intelligitur, est modus: itaque idem secundum rem, & est quid, & est modus.

Vel potest dici: quod vniuersale intelligitur sub ratione alterius vniuersalis: quia nullum est inconueniens concedere processum in infinitum in secundis intentionibus; vt docet Maurus, quæst. 3. vniuersalium.

ARTIC. II.

An vniuersale actu reflexo intelligatur?

1. Argum.

PRO parte negatiua arguitur primo: ens rationis per illum actum, quo cognoscitur, habet suum esse: ergo si ens rationis cognoscitur per actum reflexum, per illum habebit esse: ac per consequens vniuersale, quod habet esse per actum comparatiuum, & reliqua, quæ habent suum esse per actus aliarum potentiarum, non erunt entia rationis, contra superius stabilita.

Secundo, quando intellectus assimilatus rationi entis reali, & contra illa assimilatio reflexiua videtur esse comparatio; nam comparatum entis realis, seu eius obiectum, cum ente, rationis: & si sic; ergo inter illa resultabit secunda intentio: ac per consequens omne ens rationis erit secunda intentio; quod est falsum. Maxime; quia intellectus non videtur posse habere tot actus simul: igitur dicendum est ens rationis cognosci, per illum actum, quo fabricatur.

Secundum.

Pro intelligentia notandum primo, quod ens reale non solum est obiectum motuum ad sui cognitionem, sed etiam mouet ad cognitionem entis rationis: quia dupliciter dicitur aliquid ab intellectu cognosci: vel per speciem propriam, vel per formam alterius, cui assimilatur: exemplum primi, vt quando cognoscitur homo per speciem ab eo productam: exemplum secundi, vt quando cognoscitur per cognitionem suæ imaginis: & hoc secundo modo cognoscitur ens rationis: assimilatur enim enti reali; & ideo per huius speciem causatur illius cognitio; quod fit hoc ordine, primo, species intelligibilis: verbi gratia nature humane, mouet intellectum ad sui cognitionem, qua producta cognoscit ipsam naturam humanam: secundo, cognita natura humana, quia intellectus non potest moueri ab ente rationis, nec ab eius specie, cum eam producere non possit, quasi reflexendo, respicit verbum nature humane, à quo mouetur, vt possit actum reflexum producere, quo cognoscat comparationem illam resultantem inter indiuidua, & naturam, quæ ipsa natura vniuersalis denominatur: & idem suo modo de alijs entibus rationis dicitur: producto enim verbo, quo cognoscitur visio, intellectus assimilans visionem cæcitati, producit aliud verbum terminatum ad ipsam cæcitatem, quo cæcitas per se intelligitur. Vtrum autem eodem actu reflexo cognoscantur actus comparatiui, & nature, ad quas terminatur, & relationes, quæ resultat; an quodlibet istorum suo actu reflexo cognoscatur, non est huius loci: vtrumque tamen potest dici, pro quo videatur Leuchetius quodlib. 13. in solutione cuiusdam argumenti.

1. Not.

2. Not.

Secundo notandum pro maiori intelligentia resultantæ, & intentionis secundarum intentionum: quod sicut intellectus ad producendum quemcunque actum prius constituitur in ratione memoriæ secundæ per speciem intelligibilem: sic ipse intellectus, vt resultat vniuersalitatæ relatio, constituitur in ratione intelligentiæ per actum comparatiuum: vnde quando Doctor in secundo distinct. prima quæst. prima ait; secundam intentionem causari; id est resultare (sic enim sumitur causari, & produci respectu secundarum intentionum) per intelligentiam, & non per memoriam: sumit ibi intelligentiam pro toto intellectu simul cum actu comparatiuo, per quem resultat: quæ resultatio hoc ordine se habet.

Primo, postquam Phantasma est iam in Phantasia productum, ipsum simul cum intellectu agente concurrat ad abstractionem speciei intelligibilis: quia sicut intellectus possibilis non

non potest actualiter aliquam naturam intelligere, nisi simul, ac pariter, Phantasia Phantasetur, & consideret singulare eiusdem quidditatis, vt patet per Doct. in pluribus locis; sic non potest intellectus agens abstrahere, nisi etiam simul Phantasia Phantasetur, & Phantasiando concurrat cum illo mediante nouitia ab illa producta, quæ Phantasma appellatur. Itaque primo, est obiectum vt cum intellectu agente concurrat: secundo, intellectus agens, simul cum Phantasiante, producit speciem intelligibilem, per actionem quandam realem, quæ dicitur abstractio: & hæc species intelligibilis dicitur vniuersalis in repræsentando, quæ, in intellectu possibili, recepta, simul cum ipso intellectu, per quandam actionem, quæ dicitur dictio, & est relatio de genere relationis, tertio, causatur verbum mentis, quod est qualitas de genere qualitatis; licet aliquando (improprie tamen) actio appellari soleat; quod verbo informatus intellectus intelligit obiectum, diciturque operari vitaliter; & obiectum ab illo cognitum de non nominatur. Deinde quarto, ponitur alius actus absolutus quasi reflexus, quo intellectus cognoscit naturam, per verbum iam quidditative cognitum, vt abstractam, & præcisam, à suis inferioribus: & statim alius actus, quo ipsa inferiora absolute cognoscuntur: deinde quinto, ponitur actus comparatiuus, quo comparat obiecta prius intellecta, vel plura simul: & talis actus non est vnus numero, sed multiplex secundum numerum obiectorum comparabilium: deinde sexto, ponitur resultatio secundarum intentionum inter extrema comparata, quæ quasi recipiuntur in ipsis extremis cognitis, & comparatis: ac tandem, ponitur alius actus reflexus absolutus, quo ipsæ secundæ intentiones intelliguntur: quia secundum Bonetum, capite de relatione: non eodem actu intellectus producantur secundæ intentiones, & intelliguntur.

Conclu.

Dicendum: vniuersale, & quodlibet ens rationis, cognoscitur semper per actum reflexum. Hæc est communis cum Doct. in præfati, & q. 3. soluendo 3. argumentum, & in 2. vt supra, & probatur: ad cognoscendum ens rationis necesse est prius cognoscere verbum entis realis, ac ipsum ens per illud repræsentatum, vt diximus not. primo, sed hoc est cognoscere per actum reflexum. Igitur, &c.

Ad primū

Ad primum distinguo antecedens: habet esse secundum esse cognitum, quod de nouo habet: concedo: secundum antiquum esse, quo fuit constitutum in ratione entis, & obiecti: nego antecedens: vniuersale enim, quando cognoscitur per actum reflexum, denominatur cognitum, & habet nouum esse in ratione cogniti: cæterum esse vniuersalis, quatenus vniuersale est, non nisi ab actu comparatiuo.

Ad secundum.

Ad secundum nego consequentiam: nam secunda intentio tantum confurgit proprie inter duo entia rationis cognita, & apta ex natura rei, vt vnus alteri comparari possit: quod non accidit in præfati: quia ens reale non comparatur enti rationis, vt aptum ab illo denominari, sed vt motuum, quo possit in se cognosci, quin, vt

vnus alteri conueniens, cognoscatur: nec est inconueniens intellectum simul habere plures actus: de quo in 1. dist. 1. late dixi.

QVÆST. III.

An vniuersale habeat aliquas proprietates?



VERITUR, vtrum vniuersale habeat aliquas proprietates? Quod non videtur: quia proprium eius non potest esse singulare: quia tunc non conuerteretur cum

ipso: igitur est vniuersale: igitur non est aliud ab eo, cuius proprium ponitur: quod est inconueniens: quia proprium non indicat essentiam eius, cuius est proprium, per Aristot. 1. Topicorum.

Cap. 4.

Item: si habeat aliquam passionem, illa inerit ei, omni, & soli, & semper: ergo erit proprium; quod est inconueniens: quia tunc illa passio continebitur sub proprio, quod est species vniuersalis, & erit conuertibilis cum ipso vniuersali: quod est inconueniens: ergo, &c.

Item: accidens non est subiectum accidentis, per Arist. 4. Metaphy. sed vniuersale est accidens: ergo, &c.

Tex. cō. 14

Item: omnis passio est minus ens suo subiecto: sed minus ens ente rationis est non ens.

Ad oppositum est Porphyrius, qui assignat aliquas conuenientias omnium quinque vniuersalium. Vnde manifestum est, quod conueniunt in aliqua proprietate: si igitur illa inest eis vniuersale, hoc erit per rationem communem, quæ est in eis, & illius communis erit primo passio: quia si passio vniuersalis sit, & eius subiectum primum est vniuersale, per Aristotel. secundo Posteriorum: igitur talis passio est ipsius vniuersalis primo.

Tex. 22. circiter.

Dicendum quod sic: quia diffinitio diffiniens sufficienter indicat essentiam cuiuslibet: igitur cuiuscumque inest aliquid conuertibiliter, præter ea, quæ ponuntur in eius diffinitione: illud habet tale sibi in-

Hærens

Cap. 5.

hærens pro passione: & sic inest aliquid vniuersali: quia si definitio ipsius vniuersalis vera sit, quæ est prædicabile de pluribus; quæ ponitur Primo Perihermenias: tunc conuertibile, præter essentiam vniuersalis, erit illud, quod ponitur primo Posteriorum: scilicet esse vnum in multis, & de multis: & e conuerso: si illud sit definitio bona, & vera, illud erit proprium: & ita alterutrum per definitionem vniuersalis de vniuersali demonstratiue potest concludi: & ita sciri.

Ad primum argumentum dico: quod passio ipsius vniuersalis ponatur, quod sit, A. A. est vniuersale: nõ quod sit essentialiter idem suo subiecto: sed quod vniuersale applicetur sibi, vt modus eius: & erit prædicatio denominatiua: A. est vniuersale.

Contra: subiectum non prædicatur denominatiue de accidente, nec dicitur modus eius: ergo nec vniuersale dicitur modus suæ passionis.

Dico: quod vniuersale potest sumi, vt quid, vel vt modus: ratio concludit primo modo.

Per idem, ad secundum dico: quod est proprium denominatiue: sed non conuenit sub proprio: possibile est enim; & maxime in intentionibus; aliquid conuenit cum genere, & denominari a specie.

Ad tertium dico: quod accidens nõ est subiectum primum, quod est subsistens, & suppositans, ac vltimate terminans dependentiam eius: nam tale est sola substantia: potest tamen accidens esse proximum, & immediatum subiectum accidentis: quia est ratio susceptiua, per quam aliquid inest substantiæ; vt superficies est subiectum albedinis: hoc modo est in accidentibus subiectum respectu suæ propriæ passionis.

Ad quartum argumentum dico: quod in esse rationis sunt multi gradus, sicut in esse naturæ: quia modus intelligendi est in vno gradu, & in alio ens intelligibile; & modus intelligendi est minus ens ente intelligibili. Vnde concedo, quod illud, quod est minus ens ente rationis in vltimo gradu, est non ens, cuiusmodi non est proprium, quod conuertitur cum vniuersali.

Summa textus.

In hac quaestione, quæ explicite pertinet ad quaestionem, quia est specialis; id est de passionibus ipsius vniuersalis, vt vniuersale est; consequentibus; & implicite etiam pertinet ad quaestionem propter quid est; quærit Doctor: An vniuersale, non in quantum ens, vt quaestione præcedente: sed vt vniuersale; habeat aliquas proprietates de ipso demonstrabiles. Partem negatiuam quatuor rationibus persuaadet: sed illis non obstantibus, conclusionem ponit affirmatiuam, quam probat duplici ratione: prima fundatur in auctoritate Porphyrii; & sic se habet: Porphyrius ait; quinque vniuersalia conueniunt inter se: ergo in aliquo superiori, quod sit proprietas, vel essentia, quæ eis vniuersaliter conueniat: si essentia, habetur intentum: quia non datur essentia sine passione; iuxta illud Primi Physic. text. 24. essentia non, nisi passio: si proprietas, patet eadem ratione: quia proprietates illa conueniunt istis quinque ratione illius rationis communis, in qua conueniunt: quia passio non est communis multis, nisi & subiectum sit commune ex secundo Posteriorum: igitur de primo ad vltimum vniuersale, quod est commune quinque prædicabilibus ex Porphyrii mente, habet aliquam proprietatem.

Secunda ratio est eiusdem Doct. & est talis omne habens definitionem ostendentem eius essentiam; & præter hoc aliud conuertibile, & demonstrabile de ipso, per eandem definitionem; habet proprietatem: sed vniuersale est huiusmodi, vt patet primo Perihermenias text. 5. & primo Poster. text. 25. & secundo Post. text. vltim. vbi dicitur: quod vniuersale est prædicabile de multis: vel quod est vnum in multis, & de multis quarum rationum, si vna est definitio; altera erit propria passio: igitur. Tandem ad argumenta in oppositum respondet.

Cæterum; quia argumentorum solutio est valde subtilis: & vltra; quia Doctor non se determinat; quæ nam sit essentia vniuersalis: quæ, nam vero eius passio; pro his omnibus intelligendis mouetur Articulus sequens sub tali verborum tenore.

A R T. VNIC.

An proprietates vniuersalis sit esse vnum in multis: aut esse prædicabile de multis?

Quamvis ex sententia Aristot. & Doctor. Subtilis, nihil circa hęc Articulus determinatum habeamus: nam Arist. iam vniuersale diffinit per esse vnum in multis, iam per esse prædicabile de multis, vt vidimus: Doctor autem ait: si esse vnum in multis sit passio: esse prædicabile de multis erit vniuersalis essentia; si autem esse prædicabile de multis sit passio: erit e contra: quare problematicus in hoc videtur; & ita

Conclus.

existorum mente nihil circa hoc certum iudicatur. Cæterum, quod esse prædicabile de multis sit vniuersalis essentia est aliquorum sententia. Ita Ioan. Anglicus, & Mauritius in presenti; & probatur primo; nam Porphyrius omnia quinque vniuersalia diffinit per hoc, quod est prædicari: & Doctor noster infra quaest. 5. vniuersaliu, S. ad primam quaestionem expresse asserit prædicari de pluribus esse rationem vniuersalis: ergo secundum hos Doctores, vniuersalis essentia consistit in ratione prædicabilitatis: ac per consequens esse vnum in multis erit eius proprietas.

1. Sentent.

1. Argum.

Secundū.

Tertiū.

2. Sentent.

Doctoris.

1. Not.

2. Notan.

Secundo, ex Doct. dicente infra quaest. 5. de genere: esse est rei per se, intentionis vero secundæ, per accidens, e contra vero prædicari est rei per accidens, intentionis autem secundæ, per se: sed vniuersale est quædam intentio secundæ: ergo prædicari conuenit ei per se, & non esse; ac per consequens non per esse vnum in multis; sed per prædicabile de multis, debet diffiniri essentialiter.

Tertio, esse vnum in multis de vniuersali demonstratur per prædicari de multis: ergo illud est eius passio, & hoc eius essentia: antecedens probatur omnino, quod prædicatur de pluribus, est vnum in multis: vniuersale est huiusmodi: ergo, &c.

Secunda, & opposita sententia doctrinæ Aristotelicæ, & Scoticæ conformior mihi semper visa est: pro qua notandum primo, idem esse apud Aristot. vniuersale esse vnum de multis, ac esse prædicabile de multis: vnde quando in Posterioribus ait: vniuersale esse vnum in multis; & de multis: per ly, de multis; intelligit primam definitionem; ac si diceret: vniuersale est vnum in multis: & vnum prædicabile de multis: & ita nõ vna notificatio vniuersalis, sed duplex est iudicanda.

Secundo notandum, vt iam supra quaest. 1. art. 8. ad secundum contra vltimam conclusionem diximus: quod hatura cognita per abstractionem reflexiuam intellectus possibilis; quando cognoscitur postea in ordine ad sua inferiora; illique comparatur; virtute huius cognitionis comparatiue, dicitur esse vna in multis positiue: nam tunc consideratur ab intellectu; ac si esset vna natura omnibus conueniens, in illisque positiue existens, & omnia æqualiter respiciens actualiter; vt de quolibet possit prædicari prædicatione dicente, hoc est hoc. Itaque natura, vt sic abstracta, & vt est connotatū huius concreti, vniuersale, est in potentia proxima; vt sit vna in multis positiue per intellectum; & vt sit prædicabilis de multis: primum habet per cognitionem comparatiuam simplicem, seu per ordinem ad ipsam: secundum per ordinem ad comparationem complexam: vnde sicut comparatio complexa præsupponit comparationem simplicem; sic natura, vt prædicabilis de multis, seu vt indifferens ad prædicari de multis in actu, prædicatione dicente, hoc est hoc; & vt quodlibet eius indiuiduum sit ipsa; præsupponit se ipsam, vt comparabilem; & vt potentem esse vnam in illis.

Tertio notandum: quod sicut risibile sumitur, vel formaliter, vel radicaliter; & primo modo est passio hominis: secundo vero modo, est idem formaliter quod rationale; ita prædicabile de multis, formaliter, est passio vniuersalis, radicaliter autem est idem, quod esse in multis positiue: vnde quando Porphyrius, ac Doctor Subtilis vniuersalia per prædicari de multis diffiniunt; ly, prædicari, seu prædicabile, sumitur enim actus pro aptitudine; non capitur formaliter, sed radicaliter, pro esse comparabili, seu potente esse vnum in multis: quod data opera fecerunt; quia esse prædicabile solum secundis intentionibus conuenit: esse autem in multis, etiã conuenit primis: & præterea, quia cum passionis sint nobis magis notæ, quam subiectum: ideo loco essentia vniuersalis vtuntur eius passione, quæ radicaliter est idem cum eo.

Dicendum primo. Vniuersale Logicum essentialiter est esse vnum in multis positiue: seu quod idem est, est vnum per se limitatum aptum pluribus comparatione simplici comparari. Hac conclusionem, existimo, esse Doct. in secundo dist. 3. quaest. 1. littera H. vbi sic ait: ad primum dico: quod vniuersale in actu est illud, quod habet vnitatem indifferentem, secundum quam, ipsum idem est in potentia proxima, vt dicatur de quolibet supposito: quia primo Posteriorum: vniuersale est, quod est vnum in multis: & de multis: sed ibi certum est, loqui de vniuersali Logico: & dici de multis, si sumatur radicaliter, est idem, quod esse vnum in multis: ergo hoc quod est esse vnum in multis est essentia vniuersalis Logici secundum Doctorem, sed probatur conclusio.

Primo ex Aristot. vt supra: vniuersale est vnum in multis: & de multis: vbi duplex definitio vniuersalis includitur: ergo altera illarum debet esse a priori, & altera a posteriori: ergo illa, quæ primo ponitur a Philosopho erit a priori: sed talis est, quod sit vnum in multis: ergo, &c.

Secundo, vniuersale ideo prædicatur de multis, quia intelligitur esse in multis: ergo prius illi conuenit esse in multis per intellectum, quam esse prædicabile de multis: antecedens probatur veritas vel falsitas propositionum, seu prædicationum, sumitur ab eo, quod res est, vel non est; ergo prius debet natura communis intelligi esse in multis, quam quod prædicetur de multis: ac per consequens intentum.

Dicendum secundo. Esse prædicabile de multis pro formali est propria passio vniuersalis: hæc patet ex præcedente, & ex dictis in corpore Articuli.

Ad argumenta contrariæ sententiæ respondetur: ad primum patet ex notabili tertio.

Ad secundum dico, quod ibi Doctor loquitur de esse; quod verum est, esse rerum propriæ, & per se primo; entium autem rationis esse per accidens, & ratione ipsarum rerum: sed ex hoc non licet inferre esse in multis per intellectum non conuenire prius vniuersali, quam esse prædicabile de multis.

Ad primū.

1. Conclus.

2. Concl.

Ad primū.

Ad secundū.

*Ad tertium* distinguo antecedens: demonstratur a posteriori concedo: a priori autem nego antecedens: nam hoc modo potius predicari de multis demonstratur per esse unum in multis.

*Ad argumenta in tex. Doct.* Argumenta, quibus in textu probatur uniuersale non habere proprietates, respondet Doctor, notando pro solutione primi, & secundi: quod uniuersale, vel quodlibet aliud predicabile, potest sumi, ut quid, vel ut modus: quando sumitur, ut quid, est, ipsum considerari secundum suam propriam quidditatem, & essentiam (substantia enim, natura, essentia, & quidditas idem important, licet non e conuerso se inferant) unde sicut uniuersale habet essentiam, ita & quidditatem: & ideo sumitur, ut quid, quando secundum suam quidditatem consideratur: sumitur autem, ut modus, quando est ratio, sub qua aliud intelligitur: unde sicut homo potest intelligi, ut uniuersale; & tunc homo intelligitur ut quid; & uniuersale, ut modus: ita genus, species, differentia, & proprium, imo & ipsum uniuersale, possunt intelligi, ut quid, & tunc uniuersale erit ratio sub qua, vel modus, sub quo, illa intelliguntur. Itaque quando unum quodque predicabile accipitur ut intelligibile, ut obiectum, ut determinabile, & tanquam generaliter principale, dicitur accipi, ut quid: quando autem accipitur, ut est ratio sub qua, ut determinatio, ut accidens obiecti, & ut accessorium, seu minus principale, tunc dicitur accipi, ut modus: pro quo videatur etiam Doctor quaestione tertia quodlibet.

*Ad primam & secundam* hac distinctione praemissa respondet Doctor ad primam & secundam, quod uniuersale non predicatur de sua passione sumptum, ut quid; sed sumptum, ut modus, ac denominatiue: sed hoc secundo modo sumptum non est subiectum passionis: & ita non sequuntur inconuenientia illa.

*Ad tertiam* Ad tertium clara est responsio in textu: qua doctrinam etiam tradit Doctor in quarto distinct. 12. quaest. 2. ubi corrigit allegationem textus Aristotelis, qui hic corrupte allegatur.

*Ad quartam* Ad quartum concedit Doctor hanc maiorem: omnis passio est minus ens suo subiecto: & est vera Logice loquendo; ut hoc modo, unum; & verum, respectu entis excludantur, cum ex quarto Metaphysic. text. 3. eandem naturam significant, Metaphysic. tamen: & est etiam vera Metaphysic. dum modo ly, minus, sumitur pro posteriori: nam passio est posterior natura suo subiecto.

Sed contra solutionem minoris instatur primo, minoris perfectio sunt entia rationis, quam entia realia: sed habere gradus perfectionis remouetur a relationibus realibus: ergo multo magis debet remoueri ab entibus rationis: ac per consequens doctrina Scotica gradus in entibus rationis admittens non est tenenda.

Secundo, capiatur ens rationis in ultimo gradu: quod est aut est intelligibile, aut non: si hoc secundum: ergo non est ens rationis: si primum: ergo nullo modo datur minus: quia intelligibilitas est passio illius entis minoris: ac per consequens debet esse minor illo.

Tertio, illa minor debet absolute concedi: nam comparatiuus gradus confundit contentum, & distributiue suum casuale, nisi impediatur: & ita debet distribui: omne ens minus isto entem rationis, & isto; & sic de singulis est non ens: igitur absolute illa minor debet concedi: quare ex ignorantia huius distributionis procedit Doctor.

Ad primum licet Franciscus teneat illam minorem contra mentem Doct. in primo Anglico, & primo Reportationum quaest. 26. nego illam: nec habeo pro inconuenienti entia rationis habere suam perfectionem eo modo, quo habeat quidditatem.

Ad secundum suppositio est falsa: nam in secundis intentionibus non datur status: sed suppositione admitta, dico: quod illud ultimum ens ita erit quod, & ratio intelligedi, ut non sit quod: & ita erit per accidens intelligibile.

Ad tertium, quod Doctor illam distributionem exprimit, dum aliam entem rationis datur gradus: unde concedit, quod minus ens entem rationis est non ens: ceterum quia passio uniuersalis, licet sit minus ens, quam ipsum uniuersale, non est minus ens omni entem rationis: & ideo illa minor optime a Doct. distinguitur.

QVÆST. IIII.

An uniuersale sit subiectum libri Porphyrij?



Is O, quod uniuersale habet conditiones requisitas ad subiectum scientia: quia videlicet est ens, & distinctibile, & passiones habes de eo demonstra-

biles: queritur nunc, an ipsum uniuersale sit ipse libri Porphyrij subiectum? Quod non videtur: quia aut uniuersale, in quantum est intentio: aut in quantum est applicabile rei: non primo modo: quia sic intentio habet a Metaphysico considerari: probo: quia Metaphysicus considerat quodlibet, in quantum ens: igitur, & intentionem, in quantum est ens: igitur intentionem, in quantum est intentio: quia idem est intentio, in quantum intentio, & in quantum ens: sicut idem est homo, in quantum homo: & homo in quantum ens: nec secundo modo: quia sic est illud totum ens per accidens, de quo non est scientia.

Item

Item: omnis scientia realis est de uniuersali: quia singularium non est scientia: cum igitur haec sit scientia rationalis, non erit de uniuersali.

Item: hic determinatur de istis quinque sub propria ratione, diuidendo, & definiendo quodlibet per propria sibi, nullam faciendo mentionem de uniuersali secundum se: nec quoad eius quod quid est, nec quoad passiones: ergo haec quinque erunt subiectum, & non uniuersale.

Ad oppositum: haec scientia est una: ergo habet unum subiectum: ergo haec quinque non sunt subiectum, nisi secundum quod conueniunt in uno communi, quod erit primum subiectum; & illud est uniuersale.

Quaestio appendix.

Iuxta hoc queritur de unitate istorum quinque, in hoc, quod est uniuersale: an videlicet uniuersale sit uniuersum ad haec quinque: quod non: primo: quia omne uniuersum multis se habet ad illa sub ratione alicuius uniuersalis: uniuersale non comparatur ad haec quinque sub ratione uniuersalis: ergo, &c. probatio minoris: quia non sub ratione alicuius istorum quinque: quia nullum istorum conuenit alijs: sed quodlibet est distinctum ab alijs: si ergo sub ratione alterius, erit sextum uniuersale.

Dicitur: quod comparatur ad haec quinque sub ratione generis: quia predicatur de istis in quid: & haec inter se differunt specie.

Contra hoc: si uniuersale est genus ad haec quinque: ergo quodlibet istorum est species: ergo genus est species: quod est falsum: quia species opposita non predicatur de alia cum hoc verbo est: sed genus, & species, sunt species disparatae sub uniuersali; si uniuersale ponatur genus istorum quinque.

Item: genus non predicatur de speciebus, secundum magis, & minus, per Porphyrium capit. de Differentia: uniuersale predicatur, secundum magis, & minus, de istis: quia genus est uniuersalius, quam species: vel Differentia: predicatur enim de pluribus. Ergo, &c.

Ad oppositum. Uniuersale predicatur

secundum nomen, & secundum ratione: igitur uniuoce: consequentia patet per Arist. in principio Praedicamentorum: antecedens est manifestum: quia quodlibet istorum est aptum dici de pluribus, per quod diffinitur uniuersale primo Perihermenias.

Ad illam quaestionem dicitur: quod uniuersale est analogum ad haec quinque: per prius enim dicitur de genere: per posterius vero de alijs: ut patet per tertiam rationem ad primam partem: & secundum hoc respondetur ad aliam quaestionem: videlicet quod uniuersale non est hic subiectum: sed quinque uniuersalia: & tamen scientia est una propter unitatem primi, ad quod omnia alia attribuantur, hoc est genus.

Contra hoc: in omni genere est aliqua species, quae perfectius participat naturam generis, quam alia: ideo dicit Naturalis: quod in genere latent aequiuocationes septimo Physicorum: sed Logicus ponit genus uniuocum propter unitatem rationis: igitur Logice loquendo uniuersale poterit esse genus istorum quinque: licet genus aliquo modo sit perfectius alijs.

Item: quoad solutionem alterius quaestionis non dicitur conuenienter, ut videtur: quia in principio septimi Metaphysic. ex hoc quod substantia est primum ens, concludit Aristot. Quapropter solum, & maxime, & primum de substantia speculandum est: ex quo accipitur; quod ad determinandum de multis dictis per attributionem ad aliquod primum, sufficit determinare de illo primo: secundum hoc igitur sufficeret Porphyrio determinare de genere tantum.

Item: ratio sic ponentium non concludit: quia numerus est multitudine ex unitatibus aggregata: tamen non dicitur analogice de binario, & trinario: licet trinarius sit ex pluribus unitatibus: sed simpliciter uniuoce.

Propter hoc, & propter rationem supra positam ad oppositum quaestionis: dicendum; quod uniuersale uniuoce predicatur de omnibus istis quinque.

Ad primum argumentum dico: quod intentio generis sibi applicatur respectu istorum quinque. Cum autem dicitur

Cap. 5.

Tex. com.

Tex. co. 5.